23 november. Senas, vbi tum erat præsidium Regis Galliæ.

Pax inter Sereniss. Principem D. Fridericum Danorum Regem etc. et Legatos Sueticos et reipub. Lubecensis conclusa et restituta Anno etc. 68. Roschildiæ, Sed postea à Suecis reiecta.

25 november. N. B. Hoc die, cum finita concione pomeridiana, in templo Diuæ Virginis, cum cariss. parente meo amanter colloquerer; à quodam scelestissimo nebulone, Iohanne Schröder Rostochiano, septem globulis ex bombarda emissis, in conspectu patris, nefariè, et lætaliter sum læsus in dextro humero. Ipse cum à nobis in templo detineretur, à Lictoribus captus, et in carcerem detrusus est, et proximo die ħ. me intercedente, et deprecante. vltimo, et digno supplicio affectus est. Anno 1554.

28 november. Triduò post acceptum vulnus, cum grauissime ægrotarem, sumpsi sacratiss. corpus, et pretiosiss. sanguinem IESV CHRISTI filij DEI.

Missi sunt ad me Senatores, et ciues aliquot, à familia hostis mei ut meam voluntatem cognoscerent. His ego (: quantum ferebat tunc summa imbecillitas mea :) conuenienter tamen respondi.

Anno Domini 1559. Hora 11. M. 30. in meridie, nascitur cariss. filia mea Dorothea in oppido Iutiæ septentrionalis Coldinga, quam Sereniss. Daniæ regina Dorothea ex baptismo clementer suscepit.

29 november. 24 Romam veni, ad d. D. Laurentium Kerckhof, amicum meum sincerum¹). Anno 1553.

I december. Senatus Rostochiensis, nemine accusante, ex officio suo, Iohannem Schroder Rostochianum, qui proximò die Dominico in templo d. virginis me scelatissimè læserat; vltimo supplicio affecit, hora II. ante merid. Anno 1554. Cui Deus iam inauditam petulantiam et immanitatem, quam in me exercuit, clementer remittat.

5 december. Hoc die pridie Nicolai circiter horam 10.4m vespertinam, mortuus est Coagij d. Iohannes Frijsius ab Hesselagger, Hagenstedt, et Borrebij, Cancellarius Regis Friderici primi, Christiani 3. et Friderici 2. Sepultus 19. eiusdem mensis Hafniæ in templo Diuæ virginis Mariæ. Anno 1570.

10 december. ① Dominica 1. Aduentus, vidi Papam Iul: 3. in Missa, cum 30. Cardinalib.

12 december. Nascitur Serænissimo et optimo Regi nostro filia, Illustrissima Princeps, d. Anna, Scanderburgi circiter, circiter horam 7. matutinam, Anno Domini 1574.

15 december. Discessi Roma, regno Pontificio benè considerato, et diligenter notatis memorabiliorib. antiquitatib. Anno 1553.

Nascitur Hafniæ filia mea Beningna hora 3. minuto 20. ante meridiem Anno à natiuitate Redemptoris. 1568.

19 december. Captus est dux Georgius Megalburgensis à Magdeburgensibus, et detentus vsque ad deditionem ciuitatis. anno 1550.

¹⁾ Detta ord är senare överstruket och ersatt med förkortningen sc3 [sceleratum?].

- 20 december. The Desponsata est mihi vsitato, et solenni more, honestissima, et modestiss: virgo Iudith Friesenn, Nicolai Friesenn præmortui filia, Rostochij H. 9. matutina in templo diui Iohannis, præsentib. viris clarissimis, doctiss: et honestiss: Anno 1552.
- 21 december. Loretum alla casa de la nostra Donna, vbi horrendam idolatriam vidi.
 - 22 december. Anconam, portum maris Adriatici tutissimum.
- 28 december. Redij Bononiam, ad d. D. Mar: Soccinum, ad amicos, et conterraneos meos,
- 30 december. Hoc die, 7, circiter horam V. vespertinam, nascitur Coldingæ Illustrissimus Princeps, Dominus Dux Hüldericus etc. filius Serenissimi et optimi Regis nostri. Anno 1578
- 31 december. Agnes Paselckes nata, h. 11. post med. noctem anno 1538. Rostochij.

Hoc die, finiente annum 1579. veni cum viris Nobilib. et Generosis, domino Nicolao Kaass, Cancellario Regio, et d. Mandropio à Parsbierg, Regni Daniæ Amplissimis Senatorib., Stettinum: in Legatione, à Serenissimo Rege nostro, eo missi ac deputati: ut cum Serenissimi Poloniæ Regis, Domini Stephani, Magni Ducis Lithuaniæ, ac Principis Transijluaniæ Commissarijs, de negocijs nobis commissis, tractationem institueremus. Verum, cum Polonici commissarij neque tempore præfinito ibi comparerent, nec per dies X. proxime subsequentes, ineuntis anni 80. per quos ea in vrbe mansimus, aduenirent, inde discessimus.

Eiler Akeleyes och Caspar Paslich d. y:s anteckningar.

15 januari. Hunc librum vendicat Hilarius Achilæus, et est ejus verus possessor,

Codicis Hæredem, si vis cognoscere lector Suscriptum nomen, respice quæso meum

Hilarius Achilæus

m. manu p

Nemo petit coelum, nisi per Christe (!) redemptor[em] \acute{A} te sit salus non aliunde venit

Έμος ἔρως ἔσανρόται

Hilarius Achileus f: Hilarij suapte manu p